

---

puræ principiis inhærentes, defendimus virtutem consistere in facilitate regulis moralibus conformiter agendi, et per eas inclinationem ad malum vincendi. Qui ex obedientia et amore erga DEUM et Jesum Christum præceptis evangelicis studiose obtemperant, *virtutem christianam* colunt, cuius summam ipsemet divinus Magister in *Amore DEI et Proximi reponit*.

XXIII. Recessus liber a lege rationis et divina vel ut actio singularis, vel ut facilitas spectatur; illa *peccatum*, hæc *vitium* est: utriusque essentialia in *defectu æstimationis erga sanctitatem legis* consistit, qui tam *immediate* quam *mediate* se prodit: unde peccatum malitiæ (proæreticum) vel negligentia.

XXIV. Præter alias divisiones subinde fat ambiguas primario peccata in *leviora* et *graviora* (venialia et mortalia) distribuuntur, quæ duo non sola externa imputatione, sed interne a se invicem differunt.